



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 36. Ludovicus intrudit Episcopos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

partem urbis occuparunt. Sed orta luce ab iis, qui opem promiserant, deserti post cruentam pugnam turpiter se subducere cogebantur. Ita Legatus injunctum sibi mandatum egit.

§. XXXVI.

Ludovicus intrudit Episcopos.

Interim 12 Aug. digressus Mediolano Ludovicus Bavarus Urceis in quodam agri Brixiani castro comitia sive senatum habuit, ubi aderant omnes partium ejus duces: & his in comitiis nullam Papæ rationem ducens tres decrevit Episcopos, primum Cremonæ, Como alterum, tertium Tiferno. Ecclesiæ Cremonensi Papa 21 Martii hoc anno 1327 præfecerat Hugolinum Marcofanensem Dominicanum: qui Bandinum ab Imperatore sibi suffectum pepulit, & in sede Cremonensi septendecim annis se defendit. Comensis cathedra vacabat per obitum Leonis Rambertengii ex Ordine Minorum. Franquinus quidem Rusca tum Comi Dominus curavit per Collegium in Episcopum eligi suum fratrem Valerianum ejusdem Ecclesiæ Archidiaconum. Sed Papa electionem non habuit ratam: quia Franquinus ab Imperatore Ludovico stabat; cui propterea hæc electio adscri-

T 3

pta

Sæcul. XIV.
A.C. 1327.

c. 33.

Ughell. to. 4.
p. 830.

to. 5. p. 307.

Sæcul. XIV.
A. C. 1327.

to. I. p. 637.

Vill. I. 10.
c. 34.

J. Vill. I. 10.
c. 35.

pta fuit. Calendis Januariis sequentis
anni 1328 Papa hunc episcopatum con-
tulit Benedicto Asinagio Ordinis Prædi-
catorum. Hinc natum est in illo tractu
septenne bellum civile: sed tandem vi-
cit Benedictus. Tifernensem Præfulem
agebat Guilielmus Carmelita Summo a
Pontifice constitutus anno 1324: & ille,
quem ei succedere volebat Imperator, e-
rat e familia Tarlatorum, ac probabiliter
cognatus Aretini Episcopi.

Post comitia Ureeana Imperator de-
latus in Hetruriam ante Pisas substitit:
quæ admittere eum recusabant, proseri-
ptum, nec Imperatorem esse agnitum ab
Ecclesia causantes; nolle se hujus, Re-
gisque Roberti, ac Florentinorum ami-
citiâ dimittere. Quod circa urbem a
sexto Septembris 1327 usque ad Octa-
vum Octobris oppugnatam certis condi-
tionibus in deditionem accepit. Quæ
res illum reddidit magnum, & omnibus
formidabilem. Pisis manebat amplius
bimestri spatio.

§. XXXVII.

Guido Episcopus Aretinus moritur.

Huc eum sequutus erat Guido Tarlatus
Aretinus Episcopus. At postquam
cum Castrucio coram Imperatore jurgio
conten-